

1930  
 pias causas instituerit, vel iis saltem aliquid legaverit. Præter-  
 quam enim, quod ad eleemosynas de quæsto suo præstandas obli-  
 getur *argum. 11. in f. X. de Simon.* haud leve quoque indicium  
 poenitentiae atque emendationis vitæ præbet pia ejus liberalitas.  
 Neque obstat, quod homo fidelis de iis solum, quæ licite acqui- 36  
 runtur, decimas solvere possit *c. ex transmissa 23. X. de Decim.*  
 Respondetur enim, quod à decimarum solutione ad eleemosynas  
 & legata piis causis relicta minus recte inferatur: cum decimæ soli  
 DEO ex singulari ejus mandato debeantur, tum testificandi grati  
 animi ergo, tum in signum & recognitionem Domini Universalis,  
 quod sibi DEUS in totum terrarum orbem reservavit *c. tua nobis*  
*26. & c. Porochianos 14. X. de Decim.* nec propterea ulli Laico præ-  
 stari possint *c. adhec 15. c. quamvis 17. & 19. X. eod.* Ideoque Sancti-  
 tati Divinæ adversatur, Ei vel decimas, vel primitias ex turpi causa  
 quæstas pendere. Hinc DEUS etiam in specie interdixit, ne quæ-  
 stus sibi meretricius offeretur *Deut. c. XXIII. v. 18.* cum Sanctitati  
 suæ contrarius & sic abominabilis existat. Alia vero ratio eleemo- 37  
 synarum est; utpote quæ Jure Naturali ex lege charitatis ac mise-  
 ricordiae quibuslibet cunque egenis debentur; nec quicquam re-  
 fert, unde præstentur: imo quæstus turpis omnis non honestius,  
 quam in pauperes collocatur.

## CAP. IV. &amp; ULT.

## DE

## JURE PRINCIPIS IN QUÆSTUM MERETRICIUM.

CUM supra evictum fuerit, lupanaria in Republica ob necessi- 1  
 tatem permitti posse: de Jure quoque principis circa meretri-  
 ces & quæstum earum agendum nobis esset, nisi chartarum id an-  
 gustiæ prohiberent. Quapropter quæ ex professo tractanda erant,  
 eorum summa tantum capita nunc exhibebimus. Imprimis vero 2  
 notamus, quod licet Princeps meretrices ceu malum aliquod ne-  
 cessarium majoris evitandi gratia tolerare nonnunquam debeat:  
 ejus tamen sit, quoad fieri possit, scortationem publicam quam  
 angustissimis terminis coercere, ne nimis latè serpere, minimum-  
 que